# SANCTI BERNARDI
## OPERA OMNIA




# EPISTOLÆ GUIGONIS.

# SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

## OPERA OMNIA

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, REPURGATA, ET IN MELIOREM DIGESTA ORDINEM, NECNON NOVIS PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET OBSERVATIONIBUS, INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS LOCUPLETATA ET ILLUSTRATA,

CURIS D. JOANNIS MABILLON,

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio quarta, emendata et aucta.

VOLUMEN SECUNDUM

Pars altera, tomus quintus,

col. 2069-2080

## VENERABILIS GUIGONIS MAJORIS CARTHUSIÆ PRIORIS QUINTI EPISTOLÆ QUÆDAM.

PARISIIS,

APUD GAUME FRATRES, BIBLIOPOLAS,

VIA DICTA POT-DE-FER, N° 5.

MDCCCXXXIX.

## ADMONITIO.

Tres sequentes Guigonis epistolas Horstius in Appendicem retulit, propterea quod Guigo ipse magnam habuerit cum S. Bernardo necessitudinem, ut patet vel maxime ex epistola 11 ad eum scripta. His tribus epistolis quartam adjicimus ex tomo primo nostrorum Analectorum. Animus erat ejusdem Guigonis Meditationes, quæ in Bibliotheca Patrum exstant, et primaria Carthusiensium Statuta, ab eodem scripta, etiam exhibere hoc loco. Verum nos ab ejusmodi consilio revocavit plus justo jam excedens alienorum Operum congeries. De Guigone pluro ad Bernardi epistolam 11.

## EPISTOLA I. AD HAIMERICUM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

Monet duos esse hostes, quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum.

Domino et amico in Christo reverendissimo, sedis apostolicæ cancellario HAIMERICO, amici (si tamen dignum est) ejus, et sui Carthusienses fratres, terrena despicere, et amare cœlestia.

1. Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, recordatione sentimus : unde, quæsumus, sic agite, ut cum ab his diebus, qui secundum Apostolum, mali sunt, (Ephes. V, 16) et secundum Psalmistam, sicut umbra deficiunt, (Psal. CXLIII, 4) ad dies bonos et annos æternos transieritis, non de nostra [2070] (quid enim nos vel sumus, vel erimus), sed de f illius visione et societate cum sanctis omnibus lætemini, propter

quem nostram et obscuritatem nosse, et necessitatem supplere, et, quod longe pluris ducimus, tot et tantis ecclesiasticis, quibus nunquam caretis, interpositis negotiis, latebras nostras, non solum humiliter, sed et laboriose penetrare, nosque ipsos oculo ad oculum invisere, et ore ad os loqui, non est dedignata vestra Sublimitas ; a quo solo summo beneficio et bono, societate scilicet et visione Dei, non spatiis locorum aut temporum (semper enim est, et ubique, et in ipso vivimus, movemur, et sumus), sed meritis sejungimur peccatorum, sicut scriptum est : *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat ; neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat : sed peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum*. (Isai. LIX, 1, 2) Quæ quoniam pene cuncta de mentis elatione, aut de carnis veniunt voluptate ; quorum nobis alterum cum belluis, alterum cum [2071] angelis est commune, sed reprobis : nitendum summopere est, ut et mentis superbia prematur humilitate ; et carnis luxuria, sobrietate. Hinc Dominus, *Videte,* inquit, *ne graventur corda vestra in crapula*, *et ebrietate, et citris hujus vitæ* (Luc. XXI, 34) : itemque, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. (Matth. XI, 29)

2. Non ergo in multa nostra diffundatur intentio. Duo sunt tantum, adversus quæ nobis totis est viribus dimicandum : elatio in mente, voluptas in corpore. His superatis nil remanebit vincendum, nil supererit metuendum. Cupiditas

enim rerum exteriorum non ob aliud inflammatur, nisi ut his modis omnibus serviatur. Contra quæ, si nostrum sentimus non satis esse conatum, divinum imploremus auxilium : sed imploremus humiliter, imploremus devote, corde, ore, actu, habitu. Dictum quippe Israelitico, cum peccasset, est populo : *Jam nunc pone ornatum tuum. Deposuerunt ergo ornatum suum de monte Oreb*. (Exod. XXXIII, 5, 6) Itemque alias luxit populus, et nullus eorum indutus est ex culto suo. Sicut et Ninivitarum rex, homo gentilis, ad unius hominis ignoti vocem et naufragi, *Descendit de solio suo, et abjecit vestimenta sua a se, et indutus est sacco et sedit in pulvere, et clamavit ad Dominum* (Jonæ III, 6, 7) ; eamdem austeritatem non solum omnis ætatis et sexus homines, sed jumenta subire compellens. Et nos itaque Dominici corporis, quod est Ecclesia, cruentam scissionem, quam nonnisi nostris evenisse credendum est meritis, nec immotis visceribus, nec siccis aspiciamus oculis : alioquin pretiosis ornati vestibus, herminiis et griseis confoti pellibus ; numerosis et exquisitis refecti dapibus, plumis instar Sardanapali, non tam impositi quam immersi mollibus, divinam indignationem quomodo nostris putamus placandam precibus ? et non magis metuimus, ne tum prophetica contra nos dirigatur invectio, dicaturque : *Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel ! qui comeditis*

*agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris !* de quibus concluditur, *et nihil patiebantur super contritione Joseph* (Amos VI, 1, 4, 6) ?

3. Erubescamus ad hoc, dulcissime, sero cognite, brevi conspecte, cito rapte, et corporalibus oculis nunquam deinceps forte [2072] conspiciende ; ab amoris tamen nostri complexibus nullis casibus, nullis avellende temporibus. Erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod et Judaicam et gentilem videamur superasse duritiam, dum illi divinam severitatem media ciborum et vilitate simul atque asperitate mitigant vestium ; nos in peccatis multis atque periculis, nec gloriæ modum damus, neque deliciis. Neque enim agnum jam de grege, aut vitulos tantum ile medio armenti, sed greges integros, et armenta tota consumimus. In modum quippe Amalech, cum innumera multitudine hominum ; et jumentorum supervenientes ecclesiis cuncta complemus, quidquid tetigerimus, devastantes ; nec his contenti, tabulas, cruces, calices, et sacras spoliamus imagines. Et utquid hoc ? forte, ut pauperes sustententur, monasteria construantur, captivi redimantur ? Non ita : sed potius, ut ad interficiendos christianos et sagittarii, et ballistarii, equites, et lancearii conducantur : et his eripiant res et animas, pro quibus debuerunt ponere suas. Proh dolor ! a summis hodie Pontificibus, et per

totum pene orbem, exemplo Sedis apostolica ?, frater in fratrem, id est Christianus in christianum, sacra pecunia conducitur et armatur : et talibus triumphis Ecclesia mater gratulatur, et post hæc totis manibus cruenta conscientia divina pergitur ad sacrificia. Si hoc ferendum, quid reprehendendum ?

4. At regalia, aiunt, hæc sunt, et de imperatoris sumpta palatio. Non negamus. Atque Utinam in palatiis mansissent semper, non in sacrariis ; imo magis nec in palatiis unquam fuissent, nec in ecclesiis ! Quanto enim melius ecclesiæ palatiis leges, quam palatia darent ecclesiis ? numquid enim ecclesiæ palatiis, et non potius palatia docenda commissa sunt ecclesiis ? aut palatia Christum ecclesiis, non ecclesiæ dedere palatiis ? Quanto ergo rectius a nobis reges cilicia, quam nos ab eis purpuras sumeremus ! quanto utilius ipsi nostram paupertatem, nostra jejunia susciperent, atque humilitatem, quam nos eorum avaritias, delicias, atque elationem ? Quod si quis in ecclesiis, vel ecclesiasticis tentaverit quid horum arguere personis, nonne statim respondebitur hoc agentibus : Quid agis ? quid me meis, contra evangelicam sententiam, meliorem vis facere magistris ? Numquid non ecclesia [2073] Romana variis, griseis, herminiis, marturinis, jugulatis, et lumbatis, nec non et sericis abutitur indumentis ? Numquid ecclesia Romana convivia respuit, exercitum non

conducit, bella non conficit ? Non est autem discipulus supra magistrum, neque apostolus major eo qui misit illum : sed potius perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid ad hæc dicetur ? Videtis in quam arcto constituti sumus. Aut enim quod malum est, bonum dicere, aut Deo regente prorsus non faciemus ; aut apostolicam Sedem (quod quis audeat ?) reprehendere ; aut, quod forte tutius est, omnino tacere compellimur. Et o Apostolorum tempora infelicissima, in quibus ad Dei regnum, nisi per famem et sitim, frigus et nuditatem aditus non patebat ! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, et omni miseratione dignissimos ; qui, ut ad vitam quoque pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, et hæc nostra compendia nesciebant !

5. Hæc non doctoris, aut reprehensoris auctoritate, sed dolentis et lamentantis affectu fuderimus ; zelo domus Dei, cujus diligimus decorem, rodente viscera nostra : rogantes et obsecrantes, si non in cæteris, in vobis saltem nonnihil proferant fructus. Si, inquam, hi cum quibus conversamini, saluti suæ aut nullam, aut parvam, aut non sufficientem adhibent curam, vos tamen, vestri non immemores, animam vestram nolite negligere. Scriptum est enim, *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite* (Deut. IV, 9) : et iterum, *Miserere animæ tuæ placens Deo* (Eccli. XXX, 24) : itemque, *Omni custodia conserva cor tuum*

(Prov. IV, 23) : et Dominus, *Quid prodest*, ait, *homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua* (Luc. IX, 25, et Matth. XVI, 26.) ? Non igitur ejus vobis curam eripiat aut favor principum, aut nitor ornamentorum, aut frequentia negotiorum, aut gloria pomparum, aut deliciæ conviviorum, aut oblatorum quantitas ulla donorum. Semper et ubique vestro versetur in animo, quia nescitis in tremendo Christi judicio, cum quibus futuri sitis, utrum cum illis quibus dicitur, *Ite, maledicti ;* aut cum illis qui audient, *Venite, benedicti.* Valete. Deus Pater, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in [2074] sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Nobis autem misereatur idem ipse omnipotens Deus, per vestras et totius Ecclesiæ Romanæ intercessiones et opera sacra, exhilarans corda nostra fragrantissimis et saluberrimis odoribus famæ vestræ, et continuis in veritate profectibus. Iterum valete. Salutate nobis reverendos Patres, Albanum scilicet et Ostiensem episcopos [Matthæum et Albericum] : et si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertio. Habetote, quæsumus, domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua.

## EPISTOLA II. AD HUGONEM S. MILITIÆ PRIOREM.

Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Dominis et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, HUCONI sanctæ Militiæ Priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Cartusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Dominum nostrum.

1. Quoniam in revertendo, sicut in veniendo, præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequivimus ; visum est nobis, ut per litteras vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles Dilectionem vestram exhortari nequaquam novimus : ad spiritualia vero, in quibus et quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non prius intimos superamus. Et pudendum nimis est et indignum, quorumlibet velle ditioni nostræ subjicere agmina, si non prius nostra nobis subjecta fuerint corpora. Quis enim ferat, exterius in amplas terras extendere velle nos dominationem, et exiguis cespitibus, id est, [2075] carnibus nostris, ignominiosam perpeti vitiorum servitutem ? Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, ut secure deinceps ad exteros

pugnemus inimicos : mentes nostras prius a vitiis, dehinc terras purgemus a barbaris.

2. Non igitur regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato ; sed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra nostra arma justitia ; Deo, etsi caro concupiscit adversus spiritum indomabiliter : *Hæc enim,* inquit Apostolus, *sibi invicem adversantur, ut non quodcumque. vultis faciatis.* ( Galat. V, 17) Vellemus namque omni, si fieri posset, carere concupiscentia. Sed si in hac vita, quæ tota tentatio est, concupiscentia ad plenum carere non possumus, concupiscentiis saltem non serviamus. Ad quod, quia viribus nobis parum sufficientes sumus, confortemur in Domino, et in potentia virtutis ejus : induamusque armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli. *Non enim*, sicut ibidem sequitur, *colluctatio nobis est adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum ; contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (Ephes. VI, 12) *:* id est, contra vitia, et eorum incentores nequissimos spiritus. Qui si (quod et David rogat) nostri dominati non fuerint, tunc immaculati erimus, et emundabimur a delictis maximis. (Psal. XVIII, 14)

3. Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum

fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere ; caput galea salutis obtectum, dexteram gladio salutis munitam habentes. Curramus, non quasi in incertum ; pugnemus, non quasi aerem verberantes : sed castigemus corpus nostrum, et subjiciamus servituti, quia hic est hominis, id est, animalis ad Dei imaginem conditi, status ordinatissimus, cum et caro servit spiritui, et spiritus subditur Conditori. In hoc bello tanto erit quisque robustior, tantoque, regente et protegente Deo, numerosis prostratis hostibus triumpho gloriosiore sublimior, quanto per omnia sategerit esse humilior : tantoque e contra ad omnia bona infirmior et inconstantior, quanto voluerit esse [2076] superbior. Deus enim resistit superbis. Non ergo opus est ut ad debellandos eos aliunde quæratur pugnator, quibus omnipotens resistit præliator. Quos contra David dicit, *Custodiens parvulos Dominus :* atque id ipsum expertus in se ipso subjunxit, *Humiliatus sum et liberavit me.* (Psal. CXIV, 6) Utamur exemplo, si simili cupimus uti remedio. Faciamus quod fecit, si desideramus quod accepit ; humiliemur, ut a malis omnibus liberemur. Apostolus etiam de Domino Jesu Christo : *Humiliavit,* inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nec incassum. *Propter hoc enim,* ait, *et ! Deus exaltavit illam, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium*, *et infernorum,*

*ct omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris*. (Philipp. II, 8-11) Et hinc quoque vel maxime sumamus exemplum, si ardemus ad præmium. Faciamus quod fecit, ut sequamur quo præcessit. Sectemur viam tantæ humilitatis, ut perveniamus ad gloriam Dei Patris. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur*, (Luc. XIV, 11 ; XVIII, 14, et Matth. XXIII, 12.) testante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Omnipotentissima misericordia, et misericordissima omnipotentia Dei, tam in spiritualibus, quam etiam corporalibus præliis faciat vos semper et felicissime pugnare, et gloriosissime triumphare. Optamus vos bene valere, et in sacris quæ tuemini locis, nostri, cum oratis, memoriam habere, charissimi et præstantissimi, et meritis insignissimi fratres. Has litteras per duos diversos nuntios transmisimus, ne quo impedimento (quod absit) non quirent pervenire : quas petimus, ut cunctis fratribus exponi faciatis. [2077]

## EPISTOLA III.[1] AD INNOCENTIUM PAPAM II.

Consolatur summum Pontificem adversus schismatis molestias.

[1] Scripta ante annum 1131, quo mortuus est S. Hugo episcopus Gratianopolitanus de quo in hac epistola.

Domino et patri charissimo ac reverendissimo apostolica ? Sedis summo pontifici INNOCENTIO, servi et filii Cartusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem ; suæque paternitatis devotam servitutem, et non necessarium licet obsequium.

1. Multas ad vestri apostolatus sacratas aures preces, multas pro ecclesia Gratianopolitana disponebamus offerre supplicationes, cogentibus ejusdem Ecclesiæ clericis, et præcipue charissimo et omni veneratione dignissimo patre et episcopo nostro Hugone, qui (quod sine lacrymis non scribimus) dissolutus morbis et senio, inter defunctos quantum ad episcopale spectat officium, potest annumerari : sed divina, ut credimus, miseratione provenit a viro venerabili et circa vestram obedientiam valde devoto, abbate Pontiniacensi Hugone, nostram exiguitatem interim visitari, cujus auribus cuncta quæ conceperamus, infudimus, efficacius et plenius viva voce vestris conspectibus inferenda. Et quia semel, eum nihil simus, forte non sine præsumptionis periculo cœpimus loqui ad dominum nostrum ; rogamus et obsecramus, admonere vel exhortari minus idonei, quatenus in omnibus, quæ Romana vestris diebus vel patitur, vel facit Ecclesia, nequaquam terreamini : sed magis confortemini in Domino, et in potentia virtutis ejus, insuperabilibus armis munitus, quæ suis commilitonibus ex copiis universalis

Imperatoris beatus offert Apostolus ; scuto scilicet fidei, et galea salutis, et qui non membra, sed errores, et vitia trucidat, gladio spiritus. (Ephes. VI, 16, 17)

2. Nunc enim revera non adversus tantum carnem et sanguinem, quæ regnum Dei non possidebunt ; sed adversus rectores [2078] tenebrarum, et spirituales nequitias pugnandum est, vel pugnatum. Nam quid aliud petrinam duritiam, et leoninam rabiem, quæ adversatur et extollitur adversus Principis Apostolorum Vicarium, nisi diabolica nequitia, et inspiratio viperea tam atrociter concitavit ? Quid aliud inveteratum dierum malorum, Engolismensem Gerardum, nisi veternosa cupiditas, et ambitio diabolicis immissa suggestionibus, contra catholicam pacem et veritatem tam imprudenter tamque pertinaciter ire coegit ? Quid, nisi serpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam detestandi schismatis flendis auctoribus, ex his quoque de quorum scientia præsumebatur et fide, plurimos copulavit ? Sed hæc religiosos animos, et in catholica veritate fundatos tanto minus movere, tantoque minus terrere debent, quanto sunt et ab ipso Domino longius ante prædicta, et a ministris iniquitatis crebrius tentata, et a veritatis sectatoribus numerosius ac felicius superata. Quis enim numerare sufficiat, quoties apostolica fides atque constantia, ipso qui eam dedit, prædicente,

et prædicendo roborante, non solum non defectura, sed et alios confirmatura ; quis, inquam, numerare sufficiat, quoties potestatum sæculi crudelitatibus sit impugnata, et schismaticorum atque hæreticorum insidiis et fraudibus impetita ? Quare autem ab eo, quo permittente vel jubente cuncta fiunt, aliquid aliquando posse permissi sunt, nisi ut infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, sapientes ostenderentur ; ct universaliter boni coronarentur, mali condemnarentur ?

3. Nunc quoniam sacri pectoris intentionem a melioribus et divinioribus avocatam diutius forte quam decuit nostris tenuimus ineptiis occupatam, vestræ Majestatis pedibus advoluti, pro cunctis quidem sed maxime pro novellis religionibus, Cisterciensi scilicet et Fontebraldensi, nec non et pro universo mundo, preces offerimus, non enim pars una, sed totus pene est orbis vestra diœcesis. Nam sicut Deus est unus, mediator unus, mundus unus, sol unus ; et, ut minora inferamus, in animalibus cunctis caput unum : ita beati Petri Vicarius, id est Papa, non potest esse nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem [2079] justitiæ, lumen doctrinæ, et ipsius, quam nomine quoque præfertis, irreprehensibilis debetis exemplar innocentia*. Nam sicut in hoc mundo visibili, lux est tenebris, et calor contrarius est frigori ; ita vestra totius

sæculi peccatis innocentia, erroribus sapientia, luxuriis temperantia, adversitatibus tolerantia, vitiis est objecta justitia : ut dum ab uno vincitur unus, id est, a beati Petri Vicario mundus, quo sine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eo major Deo, cujus est totum, honor reddatur et gloria ; per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit ct regnat Deus per infinita sæcula sacculorum. Amen.

## EPISTOLA IV. AD FRATRES DURBONENSES.

De supposititiis beati Hieronymi epistolis.

Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, Lazaro Durbonensi Priori, et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Cartusiæ Prior vocatus GUIGO, æternam a Domino salutem.

Inter cætera catholicorum virorum, quæ aci eruditionem fidelium elaboraverunt opera, quæ nostra quoque parvitas congregare studuit, vel emendare ; etiam epistolas beati Hieronymi, quotquot potuimus, undecumque quæsitas, et pro concessa a Deo facultate, mendaciis expurgatas, in unum grande volumen redegimus. Abscidimus autem ab eis quasdam, quas vel ex aliorum doctorum scriptis, vel ex stili, sententiarumque distantia, titulo tanti viri comperimus indignas : ex quibus illa est, cujus est titulus « ad Demetriadem, » hoc habens [2080] initium, « Si summo ingenio, parique fretus scientia. » Hanc

quippe beatus Augustinus in opere contra Pelagium de Gratia Christi et de peccato originali, ejusdem Pelagii esse dicit, quædam ipsius frusta tractatui suo interserens, atque redarguens. Huic adduntur et istæ : « Ad Titatium ile morte filiæ, » cujus initium tale est, « Charitatis tuæ scripta percepi. Ad Oceanum consolatoria, » tale habens initium, « Diversorum opprobria, tribulationes multiplices. Ad viduam, » quæ sic incipit, « Magnam humilitati nostræ fiduciam scribendi. Ad virginem, » sive « Ad filiam Mauricii, » dupliciter quippe intitulata reperitur, exordium istud accipiens, « Quantam in cœlestibus beatitudinem. » Item, « De lapsu virginis, » sive « de pœnitentia, ad Susannam » (uterque enim titulus in diversis codicibus invenitur) : quæ tam diversis titulatur auctoribus, ut eorum nullius sit decoranda vocabulo ; cujus hoc est in quibusdam libris initium, « Puto leve esse crimen ; » in aliis istud, « Quid agis, anima ? quid cogitationibus æstuas ? Ad desiderium de duodecim lectoribus, » a nescio quo in irrisionem doctorum composita. « Ad Celantiam, » sic incipiens, « Veteris scripturæ celebrata sententia est. » Hæc stilo quidem nobiliore est scripta ; sed nec sic beato Hieronymo digna. Postrema est « De origine animæ disputatio, » quasi inter beatos Hieronymum et Augustinum : ubi licet multa ex eorum scriptis ponantur, falsa tamen est : tum quia præfati doctores nunquam inter se

præsentialiter sunt locuti ; tum quia eadem quæstio nec apud cos, nec apud cæteros fidei catholicæ sectatores adhuc usque potuit liquido definiri. Hujus disputationis tale reperitur principium, « Cum apud vos cælestis eloquentia » purissimi fontis. » Ne autem prædicti doctoris epistolæ sine rationabili causa apud imperitos suo videantur numero diminutæ, has nostræ parvitatis litteras in principio collocato. Valete. Orate pro nobis.